



Libros, ut in fine XXVIII. pro XX. exeant. Advertit id Librarium; cum enim jam subiecisset rubricam: *Explicit Isidorus continens in se viginti octo libros. Sub anno. D. M° CCCC° XII°.* τὸ ὄθιο rursus delevit, nisi dicas, id factum ab alio. *Bobemum* hominem fuisse docent non semel adjecta quaedam illius gentis lingua. Ita fol. 77. L. IX. c. 7. ubi de *Materteris* agitur, legas: *Ach awech ma myla kassy mye.* Schemata curate adpicta sunt. Lectio de melioribus est, saepius etiam secundae manus, sed Vocabula graeca passim jugulata.

## CCCCX.

U. 54 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 149. f. bene exaratus, rubricis distinctus, et ab incomparabili *Job. Fabro* Antistite nostro, ut notum illius *Προλογισμα* typis expressum in fronte docet, a. 1540. Collegio suo ad S. *Nicolaum* in usum Juventutis scholasticae legatus sequentia continet: I. praemisso quodam Fragmento homiletico in *Genes. III. a v. 21.* incipit p. 2. *Expositio cuiusdam de operibus sex dierum.* Ita quidem: *De principio libri genesis in quo mundi hujus creacio descripta est multi multa dixerunt.* Τὸ cuiusdam fortassis inde est, quod jam olim de Autore hujus Expositionis ambigeretur, aliis in *Junilium* Sec. VI. in *Africa* Episcopum, aliis in *Bedam* inclinantibus, cujus re ipsa est et legitur edit. *Colon. Opp. T. IV. 1688. p. 1. f.* Codici nostro probe respondens, nisi, quod hic *Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

Inscriptionem: *Dilectissimo ac Reuerendissimo Abbati Accae &c. cui Ἐξαναμνησθῶν* istud dicat *Beda*, omitat.

II. fol. 17. *Super genesim.* Atque istud quidem calamo recentiore super locum erasum. Praeoccupanda ergo vera Operis Inscriptio, prout habetur fol. 113. *Incipit Explanacio Quam Fecit Viuchbodo Presbiter Domini Caroli Imperatoris ex libris sanctorum patrum id est Hieronimi. Augustini. Ambrosii. Hilarii. Eucherii. Gregorii. Isidori. Junilii. Bede.* Pauca, quae de hoc *Wichbodone, Wichbodo, Wigbaldo* ad nos pervenere, conjecturis nituntur. Detexere DD. *Martenius* et *Durandus* in *S. Maximini Trevir. Coenobio* Codicem ejus *Quaestionum in Octateuchum*, videlicet in 5. *Libb. Mosi, Josue, Judicum* et *Ruth*, praenotatum: *Carolus Rex Francorum et Langobardorum ac Patricius Romanorum hunc Codicem ad opus suum scribere iussit*, et triplici Poematio praevio munitum; cum autem viderent, *Quaestiones* has meris PP. supracitatorum sententiis, dictisque constare, non nisi eas, quae sunt in prima III. *Geneseos* Capita, inferuere T. IX. *Collec. suae Ampliss. Vett. Scriptt. Paris. 1733. f. ad p. 293.* praemissis illis Poematiis, e quibus praeter *Caroli* laudes, nomenque *Vuighodi* nihil ad historiam eruas, ne fundamentum quidem, quo nixi *Autores Historiae liter. Franciae* T. I. p. 177. de *Presbytero* nostro scriberent: *Il y avoit plus d'un siecle, qu'on ne*  
O o o voioit